QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXIX. NOVEMBRIS,

M. SIMONE LE TELLIER Doctore, Conſiliario & Medico Regio moderatore.

819

Eſt-ne indiuidua acutorum comes febris?

FEBRIS vni animalium homini familiaris, frequentiſſimè hominem exercet, vt nullus ſit communior morbus, nullus qui ſæpiùs Medici opem efflagitet. Hæc vna ferè creditur inter morbos Medici auxilio digna, nec vllus hoc tempore æger aut Medicum poſcit, aut de vitâ ſecum agi putat, qui ſe febris ſenſerit expertem: Inſigni certè & perículoſo vulgi errore, quaſi vnica hæc ſit atriianua Ditis, nec vllus extremum ſine febre obeat diem. Equidem nunquam morimur, niſi affecto corde: ſæpiùs tamen mori contigit ſine febre; & quamquam ea, ſit non parua ad cuiuſuis morbi vehementiam & magnitudinem acceſſio, non eſt idcirco omnis vehemens & acuta, vt nec omnis acutus cum febre.

FEBRIS ſedes eſt in corde, non omnis tamen in eo accenſus calor, etiamſi ſecundùm naturam non eſt, protinùs febris nomen meretur: nec ſi irâ leuiter corpus incaleſcit, fugacem hunc calorem vllus febrem, vt nec morbum rectè appellet. Solus ille propria febris haberi debet, qui contra naturam eſt, & tametſi in corde non primùm accenditur, è corde tamen in omnes latè partes dimanat. Neque verò qui è feruidiori iecore in omne propè corpus obrepit, aut qui caput pedeſue interdum prehendit, legitimâ febris appellatione continetur: ille ſiquidem è corde non prodiit, hic in omnes corporis partes non ſubit. Adeò ille tantùm calor optimo poteſt iure febris cenſeri, qui & vniuerſalis eſt, & cùm à corde ſit, omnia mox in conſenſum trahit. At certè non perinde vt cordi, omnes condolent particulæ, ità & illis cor eâdem planè ratione conſentit: nam propter ſummum eius in cætera imperium, parum aut nihil ab illis interdum afficitur: & ſi collectus in parte humor morbo acuto ortum præbuit, illa aliquando aut longiùs diſtat, aut etiam minus expeditæ ſunt viæ, quàm vt poſſit putridus vapor partium continuatione in cor euadens febrem accendere: hinc non omnis acutus cum febre.

FEBRIS ſæpe primaria eſt & ſolitariè inuadit, ſæpius tamen accidit morbis, aut eoſdem conſequitur: & quanquam nulli aſſidet frequentiùs, quàm acuto; non eſt tamen indiuiduus illius comes. Etenim vt acutorum cauſa bilis ſit, aut calidus alius humor calori augendo imprimis idoneus, non ideo febrem mox accendi neceſſe eſt: non enim vt bilis citò incaleſcit, ità & ſponte putret. At maxima febrium pars vni ortum putredini acceptum refert: & vetus antiquorum dogma vnicam hanc febrium cauſam eſſe ſtatuens, de nihilo planè non eſt, ſi ſola Galeni ratio intercedat, non authoritas. Iam frigidi humoris copiam acuto occaſionem dediſſe non eſt inauditum: hic cum igni concipiendo minùs apta ſit materies, neque certè febrem accendere poterit: atque idcirco non omnis acutus cum febre.

ACVTVS ille morbus cenſetur, qui cum vehementiâ ſua tempora celeriter percurrit: neque tamen omnibus acutis quatuor illa tranſigere ſemper datum eſt; at quicumque vigorem pertranſiit, ille, & declinationem nemini vnquam lethalem, neceſſariò habet. Porrò ad acutorum generationem maximè conferunt, præter humoris conditionem & copiam, virium quoque diſpoſitio, corporis habitus & affectæ partis dignitas. Hinc qui rarâ ſunt corporis texturâ, qui graciles & bilioſi, ſæpe in acutos incidunt, nec propterea magis ſunt ad febrem procliues: contra melancholici, & qui acidum eructant, præ craſſi humoris ſegnitie, vt rariùs acutis tentantur, ità facilè afficiuntur diuturnis; & fortè eam tantùm è febribus habent familiarem, quæ, quia quartis ſolùm diebus recurrit; ideo ſontica non eſt, ſed cæteris longè fortunatior. Neque verò quis idcirco ab humore frigido acutos interdum oriri neget: quod enim in acuti generatione, celer præſtat calidi humoris motus, id frigidi compenſat copia, vbi principem partem obſederit. Ità Apoplexia frigidi craſſique humoris proles; inter acutiſſimos reponitur, quæ tamen febrem non ſemper habet adiunctam: & proinde non omnis acutus cum febre.

ACVTI certè, ſi antiquis credimus, ij ſunt, quorum febres omnino continuæ ægros interficiunt: at nonnullos inuenire eſt, quibus aſſidens febris, tantùm abeſt, vt ægrotantibus exitio ſit futura: vt potiùs tota in illis ſalutis ſpes, in febris aduentu poſita ſit. Sic tetanus & reliquæ conuulſionis ſpecies, ſine febre ægros de medio tollunt, quâ ſuperueniente feliciter ſoluuntur: Apoplexia verò, cui ne ſalus ipſa quidem mederi poteſt, vnicâ adueniente febre interdum iudicatur. Adeò hac in parte ſanitate morbus præſtat, vt ipſe aliquandò nobis expetendus ſit, ſi ſanitate frui volumus. Iam plures quoque in acutorum ordine reperias, qui, ſi nihil vtilitatis & adiumenti, ab eâ, quâ carent febre, ſaltem nihil noxæ & detrimenti accipiunt: cuiuſmodi eſt cholera & colicus dolor; quin & ipſam peſtem, morborum longè funeſtiſſimum, ſine febre videre licuit. Qui omnes morbi cum inter acutiſſimos, ex omnium conſenſu, locum habeant, & febrilis incendii aliquando ſint immunes, ideo non omnis acutus cum febre.

Ergo non eſt indiuidua acutorum comes febris.

266.

Proponebat Lutetiæ LEO LE TOVRNEVRS Rhedonenſis, A.R. S.H. M.DC.XXXV.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. *Ludouicus Renouard.*
M. *Petrus le Conte Schol. Profeſ.*
M. *Mathurinus Alton.*

M. *Franciſcus Blondel.*
M. *Guillelmus Guerin.*
M. *Lancelotus de Frade.*

M. *Franciſcus Leſpicier.*
M. *Georgius Cornuty.*
M. *Guillelmus du Val. P. R.*